



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XLVI. De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum
jacula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Quam multis nocuit virtus scita,
ac præpropere laudata!

Quam sane profuit gratia silentio
servata in hac fragili vita, quæ tota
tentatio fertur & militia:

C A P U T XLVI.

*De confidentia in Deo habenda, quan-
do insurgunt verborum jacula.*

I. **F**ili, sta firmiter, & spera in me.
Quid enim sunt verba, nisi
verba?

Per aerem volant, sed lapidem
non lædunt.

Si reus es, cogita, quod liben-
ter emendare te velis! si nihili tibi
consciis es, pensa, quod velis li-
benter pro Deo hoc sustinere.

Parum satis est, ut vel verba in-
terdum sustineas, qui necdum for-
tia verbera tolerare vales.

Et quare tam parva tibi ad cor
transeunt, nisi quia adhuc carnalis
es, & homines magis, quam oportet,
attendis?

P 4

Nam

Nam quia despici metuis, reprehendi pro excessibus non vis, & excusationum umbracula quæris.

2. Sed inspice te melius, & agnosces, quia vivit adhuc in te mundus, & vanus amor placendi hominibus.

Cum enim bassari refugis, & confundi pro defectibus, constat utique, quod nec verus humilis sis, nec vere mundo mortuus, nec mundus tibi crucifixus.

Sed audi verbum meum, & non curabis decem hominum verba.

Ecce, si cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitiosissime possent; quid tibi nocerent, si omnino transire permitteres, nec plus quam festucam perpenderes? Numquid vel unum capillum extrahere possent?

3. Sed qui cor intus non habet, nec Deum præ oculis, faciliter verbo movetur vituperationis.

Qui autem in me confidit, nec

proprio iudicio stare appetit, absque humano terrore erit.

Ego enim sum iudex, & cognitor omnium secretorum: ego scio, qualiter res acta est; ego injuriantem novi, & sustinentem.

A me exiit verbum istud, me permittente hoc accidit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Ego reum, & innocentem iudicabo, sed occulto iudicio utrumque ante probare volui.

4. Testimonium hominum sæpe fallit: meum iudicium verum est; stabit, & non subvertetur.

Latet plerumque, & paucis ad singula patet: numquam tamen errat, nec errare potest, etiamsi oculis insipientium non rectum videatur.

Ad me ergo currendum est in omni iudicio, nec proprio innitendum arbitrio.

Iustus enim non conturbabitur, quidquid ei a Deo acciderit.

Etiamsi injuste aliquid contra eum

prolatum fuerit, non multum curabit.

Sed nec vane exultabit, si per alios rationabiliter excusetur.

Pensat namque, quia ego sum scrutans corda & renes, qui non iudico secundum faciem, & humanam apparentiam.

Nam sæpe in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum iudicio creditur laudabile.

5. Domine Deus, iudex iuste, fortis & patiens, qui hominum nostri fragilitatem & pravitatem, esto robur meum, & tota fiducia mea: non enim mihi sufficit conscientia mea.

Tu nosti, quod ego non novi: & ideo in omni reprehensione humiliter me debui, & mansuete sustinere.

Ignosce ergo mihi propitius, quoties sic non egi, & dona iterum gratiam ampliorem sufferentiae.

Melior est enim mihi tua copiosa misericordia ad consecutionem indulgentiae, quam mea opinata iustitia

tia p
tia.

Et
men
sum:
non ju
nis vi

Quod

r. F

nec tr
quagu
ni eve

Eg

supra

Non

per gr

Exp

lerem

Ver

omnis

Mo

transi

tia pro defensione latentis conscientiae.

Etsi nihil mihi conscius sum, tamen ex hoc justificare me non possum: quia remota misericordia tua, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

CAPUT XLVII.

Quod omnia gravia pro aeterna vita sunt toleranda.

I. Fili, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque; sed mea promissio in omni eventu te roboret, & consoletur.

Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum & mensuram.

Non diu hic laborabis, nec semper gravaberis doloribus.

Expecta paulisper, & videbis celerem finem malorum.

Veniet una hora, quando cessabit omnis labor & tumultus.

Modicum est & breve omne, quod transit cum tempore.